

nis in novissimo die futurum sit omnibus commune, quia omnes resurgemus (inquit Paulus 1. Corinthiorum 15.) & illud glorificationis concedatur predestinatis, quia nos immutabimur; conveniens & æquissimum est, ut Beatissima Virgo statim post ejus mortem consequatur resurrectionem, & glorificationem sui castissimi corporis, & distinguatur in die sui felicissimi transitus per id, quod omnes consequentur in novissimo die.

Sed hoc genus argumentandi tamquam captiosum, & sophisticum Gersonius contemnit (a). *Quis, inquit, es o homo, ut investiges sensum Domini? quis es, ut consiliarius ejus sis? Nihil enim Deum facere aut decet, aut æquum est, nisi quod ipse conveniens esse cognoverit secundum ordinem sapientiæ suæ. Si propheta complures futurorum præscientiam habuerunt, æquissimum nobis videri potest, ut Christus Dominus Matri suæ plenam, & liquidam omnium, quæ utriusque erant eventura, notitiam tribueret. Atqui Christus nec id esse conveniens judicavit, nec fecit reipsa: nam pleraque Matrem latuisse ex sacris litteris intelligimus. Ita si eam non triduo post mortem, non ipso die, quo vivere desuit, sed alio tempore ad vitam revocare voluerit, id & sapienti, & providenti Deo conveniens fuit. Frustra igitur fuit libellator, cum, Ecclesiæ auctoritate neglecta, unde certissimum petere argumentum posset, in hac una congruenti ratione præsidium constituit. Non equidem negem, ejusmodi genus argumentorum scholæ magistris, atque ipsis adeo Sanctis Patribus esse usitatum. Sed ea semper existimavi esse appendices ad argumentum potissimum: quod in rebus hujusmodi ex Ecclesiæ auctoritate desumi ignorat nemo, nisi imperitus libellator.*

At Conceptio, inquit, sine culpa originali nulli hominum fuit concessa, nec ulli concedetur; cum sit propria Christi Salvatoris nostri ex Spiritu Sancto concepti.

Simile est argumentum, quo videtur Ambrosius Assumptionem negare Deiparæ Virginis. Is enim libro primo in-

(a) *Part. 1. Epist. Col. 455.*